

Universitätsbibliothek Paderborn

**Disputationes|| ROBERTI BELLAR-||MINI E SOCIATE
IESV,|| DE CONTROVERSIIS CHRISTIANAE|| FIDEI,
ADVERSVS HVIVS TEM-||poris Hæreticos,||**

Tribus Tomis comprehensæ.||

DE CONCILIIS, ET|| ECCLESIA MILITANTE,|| QVATVOR LIRBRIS||
COMPREHENSA.||

Bellarmino, Roberto Francesco Romolo <Heiliger>

Ingolstadii, [1599]

VD16 B 1607

VII. Nota quarta.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-53873](https://nbn-resolving.de/urn:nbn:de:hbz:466:1-53873)

tabimus, inquit, nos illius Ecclesia condere gremio, qua ab apostolica sede per successiones Episcoporum frustra haretum circumlatrantis culmen auctoritatis obtinuit?

CAPUT VII.

NOTA quarta.

 **VARTA** NOTA est AMPLITUDO, siue multitudo, & varietas credentium. Ecclesia enim vera Catholica non solum debet amplecti omnia tempora, sed etiam omnia loca, omnes nationes, omnia hominum genera. Sic enim explicat, quid sit esse Catholicum, Vincentius Lyrinensis in suo commonitorio, ubi dicit eos propriè esse Catholicos, qui tenent id, quod semper, quod ubique, quod ab omnibus creditum est. Ecce predictum erat, Psalm. 2. Dabo tibi Gentes, hereditatem tuam, possessionem tuam, terminos terrae. Et Psalm. 71. Dominiabitur a mari usque ad mare, usque ad mare, usque ad litora. Et Dominus ipsa Luc. viii. & Act. i. dicit prædicandum Euangelium in omnes Gentes initio facto a Hierusalem.

Sunt autem aliqua obseruanda, antequam ex hac nota argumentum deponamus. PRIMUS est ex Augustino lib. de unitate Ecclesiae, cap. 6. & Beda in cap. 6. Cant. ut Ecclesia sic Catholica in primis requiri, ut non excludat vlla tempora, loca, vel hominum genera, in quo distinguitur a Synagoga, quæ erat Ecclesia particularis, non Catholica, quia erat aliquata vni temporis, id est, usque ad aduentum Messiae; item vni loco, id est, templo Salomonis, extra quod non poterant sacrificare; & vni familiæ, id est, filiis Iacob.

SECUNDUS, nota ex Augustino epist. 80. ad Hesychium, sit Ecclesia Catholica, non requiri, ut sit in omnibus locis minibustotius mundi, sed tantum, ut innoteatur omnia provinciis, & in omnibus fructificet, ita ut in omnibus provinciis aliqui sint de Ecclesia; donec enim hoc fiat, non nisi dies Domini, ut patet ex Matth. 24.

TERTIO, ex Driedone lib. 4. cap. 2. par. 2. de Eccles. dogma, non requiri, ut hoc fiat simul, ita ut vno tempore in omnibus provinciis necessarium esse oporteat aliquos fideli. Satis enim est, si fiat successione. Ex quo id sequitur, quod

sola yna prouincia retineret veram fidem, adhuc verè & propriè diceretur Ecclesia Catholica, dum modò clare ostendetur, eam esse vnā & eandem cum illa, quæ fuit aliquo tempore, vel diuersis in toto mūdo, quemadmodum nunc quælibet Diœcesis dicitur Catholica, quia est continuata cum aliis, quæ faciunt vnam Ecclesiam Catholicam.

A T, INQVIES, hoc est incidere in errorem Petiliani & Donatistarum, qui dicebāt, Ecclesiam quidem fuisse in toto orbe, sed postea periisse ex omnibus prouinciis, & in sola Africa remansisse, quos Augustinus reprehendit Psalm. 101. conc. 2. RESPONDEO, Donatistas errasse in duobus. Primum, quod vellent, Ecclesiam tantum fuisse in Africa, eo tempore, quo manifestè in toto mūdo adhuc fructificabat. Secundò, quod suā Ecclesiam Africanam non poterant cōtinuare cum illa, quæ in toto orbe fuerat; nā in illa semper fuerūt boni & mali, vt Augustinus probat, ipsi autem nō volebant nisi bonos.

V L T I M O nota, quod etsi Ecclesia non necessariò debuit simul esse in omnibus locis, tamen hoc tempore debet necessariò vel esse, vel fuisse in maiori parte orbis terræ: Nam Ecclesia omnium consensu, etiam hæreticorum, iam senuit; si ergo in sua adolescentia, & iuuentute non creuisset, quomodo nunc in senectute cresceret? Oportet igitur, vt iam creuerit, atque occupauerit, si non totum orbem terrarum, at certè magnam partem.

Iam verò nostrā Ecclesiam maximam partem orbis occūpasse, & esse verè Catholicā, ita probatur. Nam tempore Apostolorum in toto mundo fructificare coepit, vt Paulus dicit Coloss. 1. Item tempore Iren̄ei erat sparsa per totū orbem, id est, per omnes prouincias tunc cognitas, id quod ipse refert lib. 1. cap. 3. Idē postea refert de suo tempore Tertullianus lib. contra Iudeos, cap. 3. Idem postea Cyprianus lib. de unitate Ecclesiae. Idem postea Athanasius lib. de humanitate Verbi. Idem postea Chrysostomus & Hieronymus in cap. Matt. 24. & Augustinus in ep. 78. & 80. ad Hesychiu, necnon Theodoretus in lib. de legib. & Leo Magnus ser. 1. de sanctis Petro & Paulo, ac S. Prosper, q in lib. de ingratis, ita cecinit:

Sedes Roma Petri, quæ pastoralis honoris
Facta caput mundo, quidquid non possidet armis,
Religione tenet.

Sed

Sed hæc fortassè non negabunt aduersarij. at nos ostendemus de posterioribus temporibus. Tempore beati GREGORII Ecclesiam nostram fuisse in toto orbe terrarum, planum est, ut supra etiam adnotauimus ex epist. ipsius Gregorij ad Episcopos Orientis, Africæ, Hispaniæ, Galliæ, Angliæ, Siciliæ. Item ex Beda in cap. 6. Canticorum, necnon ex Bernardo, qui disputans coram Rege Siciliæ Rogatio, asserebat, Romano Pontifici suo tempore paruisse Orientem & Occidētem totum, item Franciam, Germaniam, Angliam, Iberos, & plurimas barbaras nationes. Vide vitam S. Bernardi lib. 2. cap. 7.

Denique, nostro tempore Ecclesiam Romanam præter Italiam, & Hispaniam totam, præter Galliam ferè totā p[ro]p[ter] Germaniam, Angliam, Poloniā, Boëmiam, Hungariā, Græciam, Syriam, Æthiopiam, Ægyptum, in quibus multis inueniuntur Catholici, in ipso nouo orbe habet Ecclesia sine admitione hæreticorum, in omnibus quatuor partibus mundi; ad Orientem, in Indiis; ad Occidentem, in America; ad Septentrionem, in Iaponia; ad Meridiem, in Brasilia; ex parte Africæ. At sectæ hæreticæ nunquam totum orbem, aut certè dimidiā eius partem occuparunt.

Secta Mahumeti, cum hæresibus Nestorij & Euychitis, quæ adhuc vigent in Oriente, nunquam ad Occidentem transferunt. Hæreses autem Lutheranorum nunquam transierunt mare, nec Asiam, aut Africam, Ægyptum, aut Græciū viderunt. Ex quo intelligimus, illustrē esse mendacium, quod habetur in principio prefationis Concordia Lutherorum, anno M. D. LXXX. editæ, dicunt enim, Confessio nem Augustanam in toto orbe terrarum percrebuisse, & ore & sermone omnium esse cœpisse. At ex tribus partibus orbis terræ, duæ maiores, Asia & Africa, nec nomen huius Confessionis audierunt, in Europa multæ provincie, s[ed] in Gracia, Italia, Hispania, vel nesciunt quid sit Confessio gustana, vel execrantur; Gallia, Helueria, & Britannia, recipiunt, nisi nomine tenus; immò rara est ciuitas, quæ una aliqua secta hæretica tota possideatur; & quamuis videntur hæretici hoc tempore magnam partem Septentrionis obtinere, tamen non tenentur omnia illa loca ab una fide, sed à plurimis, quæ inter se non minus pugnant, quamvis hiscum.

Itaq; pulchrè August. in lib. de pastor. cap. 8. docet, Ecclesiā esse ubique, & hæresim ubique. Sed Ecclesiā esse vnam, & eandem ubique, hæreses autem non easdem, sed diuersissimas, quæ se inuicem nō nouerunt, & proinde nullam earum esse Catholicam. Quocirca recte eas comparat sarmenitī præcisis, quæ ubi cadunt, cùm præciduntur, ibi manent; cùm interim Ecclesia tanquam vitis viua, ubique palmites suos extendat. Hinc etiam ipse passim hoc argumento utitur, vt lib. contra epist. fundamenti, cap. 4. & de utilitate credendi, cap. 14. & 17. & alibi.

Neque sperare possunt hæretici, sectam suam aliquando occupaturam esse totum orbem; nam non debet nunc incipere Ecclesia crescere, cùm iam senuerit, ut suprà diximus, et si Augustinus absurdissimum censuit, quod hæresis Donatistarum post annum Domini CCC. ex Carthagine esset propaganda in omnem terram; libro de unitate Ecclesiæ, capite 14. & 15. quanto magis absurdum erit nunc post annum M. D. LXXVII. hæresim Lutheranam, vel Calvinianam ex VVittembergavel Geneua in omnem terram esse diffundendam?

C A P V T VIII.

N O T A Quinta.

VINTA NOTA est **SUCCESSIO** Episcoporum in Romana Ecclesia ab Apostolis deducta usque ad nos; hinc enim dicitur **Apostolica**. Ac propterea omnes veteres hac successione, tanquam argumento euidentissimo usi sunt ad veram Ecclesiā ostendendam. **I R E N A E V S** lib. 3. cap. 3. enumerat Episcopos Romanos à Petro, usq; ad Eleutherium, qui suo tempore sedebat, ac dicit, per hanc successionem confundi omnes hæreticos. **T E R T U L L I A N V S** in lib. de præscript. Cedant, inquit, hæretici origines Ecclesiarum suarum, euoluat ordinem Episcoporum suorum, ita per successionem ab initio decurrentem. Et primus ille Episcopus aliquem ex Apostolis, vel Apostolicis viris habuerit auctorem & antecessorem. Hoc enim modo Romanorum Ecclesia Clementem à Petro ordinatum refert. configant tale aliquid hæretici. **Eusebius** in historia & in Chronicō, & **Hieronymus** ac **Prosper**, qui Chronicū Eu-

sebij